

meretur fidem, utpote quod hoc ipso, vel plaue falsum, vel apprime dubium. Si autem in circumstantiis nulla falsitas, nullaque oppositio occurrat, factum censendum quidem possibile, at minime illico credendum illud revera contigisse, nisi ea quoque adsit auctoris, vel testis conditio, ut plane dignus ille sit, cui fides adhibeatur; atque ex his liquido depromitur, unde ferendi sumus ad unum potius quam aliud credendum ex his quæ nobis gesta proponuntur, vel facta negantur (49).

Opera genuina, et authentica a falsis ac suppositis per quinque potissimum capita discerni possunt. Primum est constans ac perpetua traditio, idque luculentissime evincitur ex D. August. lib. xxxiii, contra Faustum, cap. 6, ubi efficacissime ac sublimissime, prout suum, ex prælaudato capite contra Manichæos demonstrat apostolicas scripturas, sacrosque scriptores pro genuinis authenticisque habendos esse: atque ex eod. capite genuinos Hippocratis libros a falsis sub ejusdem nomine prolatis esse secretos docet; imo Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque hujusmodi auctorum libri, ait, quod non noverint homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua: atque idem affirmat de scriptoribus ecclesiasticis; et inde subnectit: « Sed quid pergam in longe præterita? ecce istas litteras quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ, vel illas cujusquam Fausti esse, vel has neget esse meas, unde convincitur, nisi quia illi, qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis posterorum successioneibus trajiunt? Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæ-

HOMICIDA, HOMICIDIUM.

SUMMARIUM.

1. Homicidium unde dictum et quid sit? — 2. Talis cædes facta ab homine appellatur semper homicidium, quomodocumque quis hominem occiderit, et assignantur varii modi, quibus potest perpetrari homicidium, usque ad num. 15. — 16. Homicidium dividitur in voluntarium, et casuale. — 17. Homicidium voluntarium aliud est directe aut indirecte, tale, et quodnam sit utrumque. — 18. Homicidium casuale quodnam sit? — 19. Homicidium volunta-

(49) Præter auctores hic laudatos, regulasque ab his excerptas legendas cum primis P. Labrus. Sed de abusu artis criticæ adde Petri Laxeri exercitationes tres Romæ annis 1754 et 1755, ex Salomonii typographo emissas, 1. De Arte critica et generalibus ejus regulis ad Historiam ecclesiasticam relatis; 2. De Criticæ regulis, quibus vera falsis admixta secerni possunt; 3. De vera vel falsa traditione historica, regulisque ad eam internoscendam. (EDIT. BARBIELL.)

(50) Sed hic videndum, ne sumpta codicum antiquitas nos fallat. Regulis et arte critica opus est, ut de illorum ætate recte judicemus. Aliquot hujusmodi regulas Eusebius canonicus Pollinganus scite proposuit; sed plura invenies apud Trombellium in libello italico de Arte dignoscendæ mss. codicum ætatis, nuper Neapoli recuso. (EDIT. BARBIELL.)

(51) Amortius p. 4, ex auctore Problematis de S.

moniorum mendaciloquorum malitia, atque fallacia, consentiendo submersus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam tam fidem, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, cum eorum cathedras usque ad præsentem episcopos certissima successione servaret, cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta felicitate proveniat. »

(35) Alia quatuor doctissime recenset Cl. Mabillonius p. 2, de studiis Monasticis cap. 13, videlicet: Si aliqua manuscripta existimatione digna, eaque imprimis, quæ magis auctori cœva videntur, in fronte vel etiam in calce operis nomen ejusdem gerant (50). Si stylus fuerit ubique conformis alteri cæterorum auctoris operum, sicut et principia ac opiniones. Si scriptores, sive synchroni, sive pene synchroni ejusdem operis eidem auctori certo adscribant. Si denique nihil gestum in hoc opere legatur, quin cum historia sui ævi concordet; et ex his juxta contrariorum legem, ac disciplinam ratiocinare ad falsa, et supposititia eruderanda opera: hujusmodi namque momenta, uti perspicuum est, ad utrumque multa efficacitate donantur (51)

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36) De fide in judicio habenda Historicis, vide regulas a Rota traditas in Augustana Juris præcedendi 28 Febr. 1746, coram reverendissimo P. D. Bussio decan. Et in nullius, seu Tarraconen. Præcedentiæ 13 Maii 1746, cor. clar. mem. Millin. et 20 Febr. 1747, et 19 Junii ejusdem an. 1747, cor. R. P. D. Elephant. et 29 Jan. 1748, et 13 Maii ejusdem anni 1748, cor. hon. mem. de Vais.

rium injustum est peccatum ex genere suo mortale. — 20. Homicidium potest committi juste, seu licite, et injuste seu illicite. — 21. Homicidium juste et licite potest committi quatuor modis, qui assignantur et probantur, usque ad n. 24. — 25. Ad hoc ut occisio aggressoris sit licita, et cum moderamine inculpatæ tutelæ, requiruntur potissimum tria, scilicet causa, debitus modus, et tempus, et explicantur. — 26. Servato dicto moderamine inculpatæ tutelæ, licitum est occidere injustum aggressorem, etiam pro-

Dionysii Areopagitæ operibus quinque addit regulas ad opera supposita a veris discernenda: 1. Quando, inquit, liber tribuitur auctori ex fide monumentorum incertorum, aut evidenter falsorum, habetur fere infallibile suppositionis signum; 2. quando liber non potest auctori tribui, cui concedantur multæ inconvenientiæ, habetur signum probabile suppositionis: et si omnes inconvenientiæ sumantur simul, habetur signum moraliter infallibile; 3. quando scriptores Apologetici inter se non conveniunt, sed sibi invicem contradicunt in præcipuis capitibus et circumstantiis circa librum et auctorem illius, habetur signum suppositionis; 4. quando ex omnibus apologiis ne unica quidem fundat probabilitatem pro auctoritate libri defendendi; 5. quando ex omnibus apologiis sive simul, sive seorsim sumptis non potest conflare unum systema, quod cum chronologia auctoris consentiat. (EDIT. BARBIELL.)

defensione vitæ, et membrorum parentis, uxoris, prolis, fratris, sororis, conjunctorum, imo et extraneorum innocentium. — 27. Imo licitum est etiam occidere injustum aggressorem ob defensionem honorum temporalium si sint magni momenti, et aliter defendi vel recuperari non possint. — 28. Non licet autem occidere aggressorem ob defensionem rerum temporarium levis momenti. — 29. Fur tam diurnus, quam nocturnus servato moderamine inculpatæ tutelæ pro conservandis rebus magni momenti, nedum propriis sed etiam proximi, si aliter defendi et conservari non possint, licite occidi potest non tantum a laicis sæcularibus, sed etiam a clericis, et religiosis. — 30. Imo neque obstat, quod invasor sit in peccato mortali, et in æternum damnatur. — 31. Non licet tamen occidere injustum judicem, advocatum, et falsum accusatorem, et testem, quamvis ab eis grave damnum imminet. — 32. Nec licet defendere defensione occisiva ea, quæ nondum habemus, et ad quæ solum jus inchoatum habemus, et ea nos possessuros speramus. — 33. Nec etiam licet se defendere defensione occisiva contra injuste impediendam assecutionem hereditatis, legati, cathedræ, aut præbendæ. — 34. Nec pariter licitum est alium occidere pro necessaria defensione honoris et famæ. — 35. Homicidium voluntarium alterius injuste, seu illicite potest committi sex modis, qui assignantur et explicantur. — 36. Nullo casu licet auctoritate humana, sive publica, sive privata innocentem directe et per se occidere, etiamsi Tyrannus minetur Urbi excidium, nisi ei mittatur caput innocens. — 37. Indirecte autem, et per accidens aliquando licet, et assignatur quando. — 38. Innocentem directe occidere licet auctoritate divina. — 39. An judici liceat condemnare ad mortem probatum nocentem, si scientia privata noverit innocentem? remissive. — 40. Innocens ad mortem capiendus a satellitibus scientibus ipsius innocentiam potest eos licite occidere, si aliter nequeat se defendere. Secus non. — 41. Incarceratus nequit licite occidere custodes, ut effugiat. — 42. Nec ducti ad supplicium possunt licite occidere carnificem, aliosque ministros, ut evadant. — 43. An autem bannitus possit se defendere, et aggressorem occidere, et an ipse bannitus possit licite ab aliis occidi, remissive. — 44. Non licet auctoritate propria et privata occidere extra causam necessariæ defensionis. — 45. Nec licet patri filiam, aut marito uxorem in adulterio deprehensam occidere. — 46. Imo uxor et adulter possunt licite se defendere, et cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere maritum injuste ad mortem invadentem. — 47. Licitum est matronæ honestæ, sicut et virgini violentem aggressorem, stupratorem, oppressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, occidere, si nullo alio modo vim impedire aut declinare possit. — 48. Auctoritate propria, et privata non licet occidere principem suum tyrannum. — 49. Nulla auctoritate humana, secluso Dei mandato, aut instinctu divino, licet seipsum directe occidere. — 50. Dei mandato, aut instinctu divino interveniente licet. — 51. Sicut etiam indirecte aliquando licet. — 52. Hinc potest miles, imo tenetur tempore obsidionis muros conscendere, stationem suam non deserere, quamvis moraliter certus sit se occidendum ab hostibus. — 53. Potest, imo debet episcopus, aut parochus tempore pestis per se, vel per alium sacramenta peste infectis administrare, quamvis sit

(1. Homicidium dicitur ab homine cædendo; est enim cædes hominis 1. Si ita vulneratus, 52, ff. ad leg. Aquiliam, cap. Si homicidium, 51, caus. 23, quæst. 5. Unde homicidium definitur « quod sit violenta examinatio, seu occisio hominis ab homine facta. » Est in re communis, arg. cit. cap. Si homicidium. Dicitur autem notanter ab ho-

moraliter certus sese etiam ad mortem inficiendum. — 54. Potest uxor ad consolationem mariti peste infecti assidere ejus lecto, et religiosi, vel alii possunt hujusmodi infectis deservire ex charitate, et amicitia, quamvis certo moraliter timeatur similis mortalis infectio. — 55. Potest quis ad fugiendum incendium, ex alto se præcipitem dare cum certo periculo mortis. — 56. Potest quis ad evertendam turrim hostilem, aut perdendos hostes pulverem incendere, quamvis sciat se obruendum, sicuti et navem mergere vel incendere ne hostis ea potiatur cum gravi reipublicæ damno. — 57. Potest quis licite se objicere telo vel ictu ad servandum vitam principis, vel naufragio tabulam cedere amico naufraganti, vel morti se offerre pro injuste damnato ad ipsam. — 58. Licitum est mortem potius tolerare ex actu virtutis heroicæ, quam injustum vitæ aut honoris invasorem occidere. — 59. Potest reus licite non fugere, quamvis adsit commoditas; imo sponte se sistere Judici plectendum. — 60. Licitum est carnem vigiliis, abstinentiis, mortificationibus et flagellationibus moderatis affligere, quamvis inde vita sit abbrevianda. — 61. Potest quis licite abstinere a matrimonio, quamvis in cælibatu mori debeat propter indispositionem. — 62. Seipsum occidens, an et quando privandi sunt ecclesiastica sepultura? remissive. — 63. Clericus homicida incorrigibilis debet deponi, et tradi curiæ sæculari ut moriatur. — 64. Clericus homicida ex proposito debet deponi ex altaris ministerio. — 65. Clericus homicida voluntarius etiam occultus ex concilio Tridentino omni ordine, beneficio, et officio ecclesiastico perpetuo carere debet. — 66. Ipse tamen clericus homicida voluntarius, ejusque socius potest obtinere, et obtentas retinere pensiones absque dispensatione non obstante dict. cap. 7, sessio. 14, concil. Tridentin. — 67. Homicidæ damnati, sive diffamati, quamvis remissi fuerint, non possunt habere officia, dignitates, nec testimonium ferre. — 68. Homicidæ non remittendi in loco, ubi degunt hæredes occisi, nisi habita pace. — 69. Homicidium commissum a laico, qui postea effectus est clericus, non punitur quoad personam nisi a iudice ecclesiastico. — 70. Sic clericus reassumens habitum post commissum homicidium gaudet privilegio Fori, quoad personam tantum. — 71. Homicidium committit mandans in personam unius, si committatur in personam alterius, non incurrit irregularitatem, quæ contrahitur in homicidio voluntario. — 72. Homicidium vere casuale, cum nulla penitus admissa fuerit culpa, et in quo non debeatur opera rei illicitæ, non facit quem irregularem. — 73. Homicidium committens veneno non gaudet immunitate ecclesiastica. — 74. Homicidii appellatione non venit mutilatio membri. — 75. Satellites nequeunt licite occidere malefactorem, quem jussi sunt comprehendere, et qui se opponit ne comprehendatur, nisi conjunctim concurrant sex circumstantiæ, quæ enumerantur. — 76. Alia quoad homicidas, et homicidia, remissive. — 77. Homicida, quando incurrat, vel non, irregularitatem? remissive. — 78. Homicida, quoad restitutionem, remissive. — 79. Sequentia decreta usque ad finem non indigent summaris, cum satis summarie sint relata ad n. 94. — 95 ad 98. De poena homicidii jure ecclesiastico. — 99 ad 105. Nonnulla a Romano theologo. — 104 ad 114. Nonnulla ab editionibus Barbiellinianis in auctorem corriguntur.

mine, quia si homo a fera vel bruto occidatur, proprie homicidium non dicitur, sed pauperies, tit. Institut. et ff. Quadrupes pauperiem fecisse dicitur. (2. Semper tamen talis cædes facta ab homine appellatur homicidium, quomodocumque quis hominem occiderit; l. 1, § Occisorum, ff. Ad S. C. Syllan. (3. Sive scilicet quis manibus hominem occiderit,

puta strangulando, uti in l. *Qua actione*, § *Occisum*, ff. ad leg. Aquil. (4. Sive non manibus tantum sed toto corpore, puta suffocando, ut accidit parentibus et nutricibus infantes in lecto opprimentibus, de quo in c. final. *De his qui fil. occider.*) (5. Sive vim inferendo suis propriis visceribus, qua fiat abortus, et fœtus abigatur, atque moriatur; l. *Si mulierem*, ff. ad leg. Cornel. de Sicariis, sive præcipitio, dimittendo scilicet aliquem de ponte vel de aliquo alio alto loco: leg. *Qua actione*, § *Occisum*, et l. *Cum qui*, ff. ad leg. Cornel. de Sicariis. (6. Sive pugno; l. *Si servus servum*, § 6, *Si mulier pugno*, ff. ad leg. Aquiliam. Sive telo, § *Item lex Cornelia*, Instit. de publicis Judic. (7. Sive clava l. 1, § *D. Adrianus*, ff. ad l. Cornel. de Sicariis. (8. Sive ligone; c. *Significasti in princip. de homicid.*) (9. Sive falce; vel bidente, aliisque rusticis terræ instrumentis, de quibus in l. *Instrumenta*, ff. de *Fund. instruct.*) (10. Sive nimis gravibus custodiis, et carceribus vel plumbatorum verberibus, aut ponderibus catenarum, et ferreis manicis, ossibus, et corpori inhaerentibus; leg. 1, § *Si accusator*, et § *Illud etiam*, cod. de *Custod. reor.*, l. *Incredibile, de pœnis*, et l. *Nemo carcerem, C. De exaction. tribuit.*, l. 10. (11. Sive denegatione alimentorum; l. *Necare*, ff. de lib. agnoscend. et l. *Item si obstetrici*, § *Si quis*, ff. ad Aquiliam: (12. Sive flagello in quo latet dolor, id est intra cujus virgam latet pugio; l. *Si ex plagis*, § *Tabernarius*, ff. ad leg. Aquil. (13. Sive malo medicamento; leg. 3, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. et l. *Qua actione*, § *Proculus*, et l. *Idem Juris*, ff. ad leg. Aquil. (14. Sive veneno; l. 1, § *Præterea*, ff. ad leg. Corneliam de Sicariis. (15. Sive occiderit lingua, puta mandando homicidium, consulendo illud, vel falsum testimonium dicendo, propter quod ad pœnam ultimi supplicii quis fuerit condemnatus; sive denique alio quocunque modo et ratione; l. *Qua actione*, § *Occisum*, ibi: *Vel qualitercunque*, ff. ad leg. Aquil.

(16. Homicidium dividitur in voluntarium, et casuale; lib. v Decr., tot. tit. 12, de *homicidio voluntario et casuali*. (17. Homicidium voluntarium aliud est directe, aliud indirecte tale. Homicidium directe voluntarium est quod vere per se ac directe intenditur, ut cum quis animo ac intentione occidendi hominem ense transfigit, aut sclopeto trajicit illum. Homicidium indirecte, seu in causa voluntarium est, cum quis mortem alterius non intendit quidem, voluntarie tamen ponit talem causam vel facit aliquid ex quo mortem mortaliter certe secuturam prævidet, ut si quis graviter percutit aut pedibus calcet prægnantem feminam, et inde sequatur abortus, vel si in loco hominibus valde frequentato exploditur sclopetum, et inde homo occiditur. (18. Homicidium casuale, est, quod nec directe, nec indirecte intenditur, sed præter omnem intentionem casu et fortuito accidit, ut si quis putans sclopetum esse vacuum explodit ipsum, et explodendo præter omnem intentionem aliquem occidit.

(19. Homicidium voluntarium injustum est peccatum ex genere suo mortale, Com-

munis ac certa. Est enim expresse prohibitum, et quidem sub gravibus pœnis tum in Testamento Veteri, tum in Novo. Exodi enim xx, inter præcepta negativa proximum respicientia, ponitur primo expresse: *Non occides*. Genes. ix dicitur: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius*. Levit. xxiv habetur: *Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur*. Matth. cap. xxvi, sic præcise statuitur: *Omnes, qui gladio acceperint, eoque percusserint, gladio peribunt*; et Apocalyps. c. xiii, sic mandatur: *Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*. (20. Homicidium voluntarium potest committi juste, seu licite, et injuste, seu illicite. Communis. (21. Homicidium juste, seu licite potest committi quatuor modis. Primo, mandato Dei speciali. Secundo, lege publica et ministerio justitiæ. Tertio, bello justo. Quarto, necessaria sui defensione cum moderamine inculpatae tutelæ. Quo ad primum de mandato speciali, et instinctu Dei occidendi se ipsum, vel alium, nullum est dubium, cum Deus sit absolutus Dominus vitæ, et mortis hominis, Sapient. xvi, adeoque homo possit in tali casu licite, imo teneatur ei obedire, sicut prompte ei obedivit Abraham, quando præcepit ei Deus ut occideret dilectum suum filium Isaac, Genes. xxii, et Israelitæ de mandato occiderunt parvulos urbis Jericho, Josue vi, et viri Samariæ interfecerunt 70 filios Achab, iv. Reg. i, et sic de aliis similibus.

(22. Quoad secundum de lege publica et ministerio justitiæ, habetur tam ex divina quam humana lege, licere auctoritate publica occidere malefactores; divina quidem Exodi xxii, expresse dicitur: *Maleficos non patiaris vivere. Qui coierit cum jumento, morte moriatur; Qui immolat Diis occidatur*. Deuteron. xxi, statuitur pœna mortis filio protervo parentibus inobedienti. Deuteron. xxii, eadem pœna mortis statuitur filie in domo patris fornicanti. Et ad Rom. xiii, Apostolus de principe sæculari loquens, sic ait: « Dei minister est tibi in bonum; si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. » Lege humana autem licere constat ex cap. *Quæsitum*, 45, caus. 23, q. 4, c. *Prodest*, 4, cap. *De occidendis*, 8, cap. *Sunt quedam* 39, c. *Qualis* 44, ead. caus. 23, q. 4, cum concordantiis. (23. Quoad tertium de Bello justo, vide verb. *Bellum*, art. 2 et 3, ubi late de licita occisione in Bello justo.

(24. Quoad quartum de necessaria sui defensione cum moderamine inculpatae tutelæ licere occidere injustum aggressorem tenet communissima DD. cum S. Thoma 2, 2, quæst. 64, art. 7, et habetur in cap. *Jus naturale*, dist. 1, et cap. *Significasti*, 18, de *homicid.* et cap. *Si vere*, 2, de *sent. excommun.* ubi dicitur « vim vi repellere omnia jura, omnesque leges permittunt. » Et leg. 3, ff. de *Just. et*, ubi dicitur: « Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis fecerit, jure fecisse existimetur. » (25. Dicitur autem notanter « cum moderamine inculpatae tutelæ, » quia ad hoc ut talis aggres-

oris occisio sit licita, tria potissimum requiruntur communiter a doctoribus cum Julio Claro, § *Homicidium*, n. 34, primo scilicet requiritur causa, id est quod aggressio, seu invasio sit injusta, quia pro defensione vitæ suæ non licet occidere juste invadentes, v. g. ministros justitiæ, quia hi juste invadunt, ut post Avilam *De censuris*, part. iii, disp. 5, sect. 3, dub. 2, concl. 1, et alios recte observat Pirhing. lib. vii Decret., tit. 12, num. 92. Reiffenstuel ibid., num. 132. Secundo requiritur debitus modus defensionis, ita ut defensio non se extendat ultra id, quod requiritur ad propulsandam injustam aggressionem; qui enim potest se defendere pugno, baculo, percussione non le hali, vel aggressorem abigere, et vincere illum exarmando, non potest licite illum occidere; arg. cap. *Ut sane* 35, de *sentent. excommun.*, ibi: « Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio exigit (52). » Tertio requiritur tempus, id est ut occisio ad sui defensionem fiat statim ac quis injustam vim, vel aggressionem occisivam, aut mutilationem patitur, vel certo imminente cognoscit, non vero postea, et ex intervallo postquam aggressor abiit, nullumque amplius remanet periculum; arg. cap. *Si vero*, 2, de *Sent. excomm.*, ibi: « Si incontinenti vim vi repellat, » et ratio in universum est, quia defensio occisiva ut licita sit, talis esse debet, ut non ad sumendam vindictam, sed tantummodo ad propulsandam injuriam fiat; arg. c. *Significasti* 18, de *homic.* ibi: « Tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. »

(26. Servato dicto moderamine inculpatae tutelæ licitum est occidere injustum aggressorem etiam pro defensione vitæ, et membrorum parentis, uxoris, prolis, fratris, sororis, conjunctorum, imo et extraneorum innocentium; arg. cap. *Fortitudo* 5, caus. 23, qu. 3, ibi: « Fortitudo, quæ vel bello tuetur a barbaris patriam vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitia est; » cap. *Non inferenda* 7, cap. *Qui potest* 8, ead. caus. 23, et qu. 3, juncto cap. *Dilecto* 6, § *Et quidem de sent. excomm.* in 6, et concordat l. 1, § 4, ff. ad leg. Cornel. de *Sicariis*; hinc Exodi c. ii, num. 11, laudatur Moyses, quod Ægyptium injustum ag-

(52) Hinc factum est, quod injuria egisse dicitur, meritoque civilibus legibus extra ordinem punitur is, qui occidere maluit suum aggressorem quam fugere, si sine periculo potuit. Vid. Ant. Matthæum leg. citat. ad leg. Cornel. de *Sicariis*, cap. 5, § 7. (EDIT. BARBIELL.)

(53) Quæ de sui defensione egregie ab auctore pertractantur ad naturalem referantur statum oportet; inita enim societate diversæ statuendæ sunt regulæ; cum enim ob id potissimum societas sit constituta, ut quis tutior suis juribus fruatur, atque adeo omnes renuntiaverint juri se per vim defendendi, illudque summæ potestati concesserint, cuius est vim alienam compescere et illatam reparare. Vid. l. *Nulli* 14, cod. de *Judæis*, tunc tantum jus primævum reviviscit, cum nulla est publici auxilii vel spes, vel copia, et damnum, quod imminet est irreparabile; videtur enim unumquemque civem

gressorem Hebræi cujusdam occiderit, et absconderit in sabulo; et sic tenent Farin. in praxi Crimin. qu. 124, a num. 267. Reiffenstuel loc. cit., n. 137; Jul. Clar. verb. *Homicidium*, n. 27, ubi dicit esse communem, sicut communem dicunt Filiuc., Molin., Azor., Viva ad proposit. 17 et 18, Alexand. VII, num. 12 (53).

(27. Imo licitum est etiam occidere injustum aggressorem ob defensionem bonorum temporalium, si sint magni momenti, et aliter defendi vel recuperari non possint; Clarus verb. *Homicidium* a num. 25. Suarez. *De censur.* disp. 46, sect. 2, n. 10; Lesius l. ii, *De justit.* c. 2, dub. 11; Covarruv. in Clementina: *Si furiosus*, part. iii. § unic., num. 6, in fine; Castropalao *De censur.* disp. 6, punct. 15, n. 7 et seq. Viva ad proposit. 17 et 18; Alexand. VII, num. 10 et 12, cum satis communi aliorum; argum. leg. 1, cod. *Unde vi*; ubi etiam universaliter concedi videtur his verbis: « Recte possidenti ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatae tutelæ moderamine illatam vim propulsare licet; » consequenter etiam occidere, si occisio ad defensionem est necessaria, cum permisso sine permittantur etiam media ad illum consequendum necessaria; arg. c. *Præterea*, 5, de *offic. et potest. Judic. deleg.* l. 2, ff. de *Jurisd.* l. *Si furem* 9, ff. ad leg. Cornel. de *Sicar.* Et ratio est, quia sine illis bonis non potest juxta proprium statum vita custodiri, adeoque sicuti licet vitam defendere defensione occisiva, ita etiam bona externa ad vitam conservandam necessaria, cum talia bona vitæ quodammodo comparentur; l. *Advocati* 14, cod. de *Advocatis divers. Judic.* et ibi Glossa communiter recepta (54).

(28. Fuit autem dictum notanter, « Si bona sint magni momenti, » quia ob res levis momenti non licere occidere aggressorem hodie certissimum est ob sequentem propositionem ab Innocent. XI, die 2 Martii 1679, ex damnatis in ordine 31, ibi: « Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. »

(29. Hinc fur tam diurnus, quam nocturnus servato moderamine inculpatae tutelæ pro conservandis rebus temporalibus magni momenti, nedum propriis, sed etiam proximi, si aliter defendi et conservari non pos-

juri se adversus alienam injuriam propriis viribus tuendi ita renuntiasse, ut casum hujusmodi exciperet; consule Puffendorf. lib. ii, cap. 5, de *Defensione sui*, § 4, etc. Exinde fortasse ratio discriminis orta est inter furem nocturnum ac diurnum tam apud Romanos, quam apud alias gentes. Vide l. 4, § 1, ff. ad l. Aquil. Demosthenes *Orat. contra Timocratem*, Plato *De legibus*, lib. ix, Exod. cap. xxiii, v. 5. (EDIT. BARBIELL.)

(54) Jus resistendi a defensionis necessitate ortum est, cessante necessitate jus nullum superest; in hac resistendi necessitate constituimur cum damnum imminet irreparabile. Quis itaque dixerit licere pro defensione suorum bonorum invasorem interficere, siquidem damnum hoc vi publica potest reparari? Vide Puffendorf. lib. ii, cap. 5, de *Defensione sui*, § 16, in med. (EDIT. BARBIELL.)

sint, licite occidi potest, non tantum a laicis sæcularibus, sed etiam a clericis et religiosis; arg. cap. *Dilecto 8, de sent. excomm.* in 6. Et ratio est, quia ipso jure naturæ licet vim vi repellere quantum opus est ad se suaque tuenda; cap. *Jus naturale 7, dist. 1, cap. Significasti 19, de homicidio*, et cap. *Si vero 2, de sentent. excomm.* ubi dicitur: « Vim vi repellere omnia jura, omnesque leges permittunt. » Et expresse id permittunt leges civiles, quia alias daretur occasio bonos et innocentes spoliandi; l. *Si furem 9, ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* et l. *4, ff. ad leg. Aquil.* et consentit jus canon. cap. *Interfecisti 1, et cap. Si perfodiens 3, in fine de homicid.* et citat. cap. *Dilecto 6, de sentent. excomm.* in 6, et tenet cardin. de Lugo, disp. 10, num. 169; Viva ad propos. 17 et 18 Alexandri VII, num. 10 et 12, ubi testatur de communi, et sic communiter docent Silvester, Cajetanus, Sotus, Navarra, Molina, Tambur. ut testatur et sequitur Sporer. tom. II, tract. 6, in 3, præcept. Decalog. cap. 2, sect. 3, num. 155, et expresse Reiffenstuel. loc. cit., n. 167 et 173; Pirhing. loc. cit., n. 91. (30. Imo ut recte notat Viva l. c., num. 12, in fine; « Neque obstat (sunt præcisæ verba ipsius) quod inductor sit in mortali, et in æternum damnatur, nam id sua culpa contingit, potestque desistere, si nolit interfici; » unde non dicitur esse in extrema necessitate; in qua certe præferenda est vita spiritualis proximi vitæ temporali propriæ.

(31. Non licet tamen occidere injustum judicem, et advocatum, et falsum accusatorem, et testem quamvis ab eis grave damnum immineat; Alexander enim VII, die 7 Septembris 1665, damnavit absolute sequentem propositionem 18, in ordine: « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare; » Reiffenst. loc. citat. n. 140; Viva l. c., n. 7, et alii passim. (32. Nec licet defendere defensione occisiva ea quæ nondum habemus et ad quæ solum jus inchoatum habemus, et ea quæ nos possessuros speramus, quia Innocent. XI, die 2 Martii 1679, damnavit expresse sequentem propositionem 32, in ordine: « Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus; » Reiffenstuel. loc. cit., num. 141; Viva loc. cit., n. 8; Cardenas et alii passim. (33. Nec licet etiam se defendere defensione occisiva contra injuste impeditentem assecutionem hæreditatis, legati, cathedræ, aut præbendæ. Sic enim aperte desu-

(35) Quæsitum fuit etiam a nonnullis, an femina pudicitie suæ vim inferentem occidere possit. Quæstio facillime resolvitur. Cum enim unicuique a natura jus sit quamcumque vim quovis pacto repellendi, nisi alia mitiora suppetant media, quibus præcipuum feminarum non tantum, sed etiam virorum ornamentum pudicitiam servet, quin necem etiam inferre injusto aggressori possit, non ambigendum. Jure igitur Paulus jurisconsultus, Sent. lib. v, tit. 25, § 5,

mitur ex sequenti propositione 33, inter damnatas ab Innocentio XI, die et anno quo supra; « Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impeditentem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter (id est defensione occisiva) defendere, sicuti, et jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impeditentem. » Reiffenst. loc. cit., n. 142; Viva loc. cit., num. 8; Cardenas et alii hodie communiter. (34. Nec pariter licitum est alium occidere pro necessaria defensione honoris et famæ. Desumitur ex sequenti propositione 17, inter damnatas ab Alexandro VII, die 7 Septembris 1665: « Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, sicuti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni publice, vel coram gravissimis viris, prædicta impingere, nisi occidatur. » Item ex hac alia 30, inter damnatas ab Innocentio XI, die et anno quo supra: « Fas est viro honesto occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat. » Viva loc. cit., num. 3; Reiffenstuel. loc. cit., num. 143, et seq.; Cardenas et alii (35).

(35. Homicidium voluntarium alterius injuste, seu illicite potest committi, sex modis, facto, præcepto, consilio, defensione, permissione, cooperatione. Facto homicidæ sunt, qui manibus, ferro, lapide, veneno, laqueo, et omni alio modo ex enumeratis a n. 2 ad 14, inclusive vitam eripiunt. Præcepto homicidæ sunt principes et judices, qui condemnant ad mortem innocentes, aut minus nocentes, sicuti, et domini præcipientes famulis alicujus occisionem. Consilio homicidæ evadunt, qui alios ad id consulunt, inflammant, et incitant, injuriam aliquam exaggerando, ignominiam exprobrando, honoris jacturam exponendo, et hujusmodi. Defensione homicidæ fiunt qui homicidas sustinent, protegent, apud se recipiant, ipsis favent, asylum præbent, et hujusmodi. Permissione homicidæ dicuntur, qui jurisdictionem habentes, ut principes et magistratus, judices, feudatarii, et hujusmodi, negligunt comprehendere, aut secundum demerita punire homicidas, grassatores, sicarios et similes. Cooperatione homicidæ censentur, qui arma subministrant, qui occidendos capiunt, ligant, detinent, et hujusmodi.

(36. Nullo casu licet auctoritate humana, sive publica, sive privata, innocentem dire-

hæc habet: « Qui latronem cædem sibi inferentem, vel alium quemlibet stuprum inferentem occiderit, puniri placuit, alius enim vitam, alius pudorem publico facinore defendit. » Vide L. 1, per ff. ad l. Cornel. de Sicar., argum. l. 8, § 2, ff. Quod metus caus., l. Is qui 2, l. Si quis percussorem 3, c. h. 8. Gayl. obser. 110, num. 15. Vide etiam Puffendorf. lib. II, cap. 5, de defensione sui, § 11. (EDIT. BARBIELL.)

te et per se occidere, etiamsi tyrannus mittatur urbi excidium, nisi ei mittatur caput innocentis; Communis, et constat ex universalis præcepto divino Exodi xxiii, ibi: *Insonnem et justum non occides, quia aversor impium.* Occisio enim innocentis est intrinsece mala, non minus ac fornicatio, adulterium, etc., adeoque nulla ratione, nulla necessitate potest cohonestari. (37. Dicitur autem notanter, directe, et per se, quia indirecte et per accidens aliquando licet, ut quando in bello justo victoria aliter obtineri non potest, nisi simul cum nocentibus occidantur innocentes, et quando equo vectus aliter inimicum fugere non possit, nisi ratione viæ angustæ et arctæ proculcando innocentem, infantem, dormientem, claudum, etc., et quando non potest aliter evitari urbis excidium, nisi ad tyrannum seu hostem mittatur innocens; tunc enim potest respublica talem innocentem cogere, ut tyrannum adeat, cum ex charitate, et justitia legali teneatur vitam exponere pro republica; neque hoc esset directe, et per se cooperari ejus morti, sed tantum indirecte, et per accidens, cum traditio de se sit indifferens, et mors tantum sequatur indirecte, et præter intentionem reipublicæ; imo si civis ille innocens nollet obedire magistratui præcipienti, ut se pro bono communi tyranno traderet, aut sui traditioni repugnaret pertinaciter, jam fieret nocens ratione inobedientiæ in re justa et gravissima, et sic juste non ut amplius innocens, sed ut jam factus nocens, et reus posset a republica occidi; Communis. (38. Dicitur etiam notanter auctoritate humana; quia neminem latet licere occidere innocentem auctoritate divina; Deus enim est absolutus Dominus vitæ et mortis; Sap. xvi: *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem; Deuteronom. xxxii: Ego occidam, et vivere faciam.* Unde Deo jubente fuerunt licite occisi parvuli licet innocentes urbis Jericho ab Israelitis, Josue vi; et ex ejus mandato viri Samariæ occiderunt 70 filios Achab, IV Regum 1; et Abraham prompte obedivit Dei præcepto, quando mandavit ei ut occideret dilectum et innocentem filium suum Isaac, Genes. xxi. (39. An autem judici liceat condemnare ad mortem probatum nocentem, si scientia privata noverit innocentem; vide verb. *Judex.*

(40. Innocens ad mortem capiendus a satellitibus scientibus ipsius innocentiam, potest eos licite occidere, si aliter nequeat se defendere. Si autem satellites nescirent eum esse innocentem, uti ordinarie scire non possunt, non posset eos licite occidere, quia bonum commune postulat, ut non inferatur damnum ministris bona fide publicum offi-

(36) Quod intersit discrimen inter innocentem ad mortem condemnatum, qui se defendit a satellitibus, ipsius innocentiam scientibus, et illum, qui se defendit a satellitibus ipsius innocentiam ignorantibus, non intelligo. Satellitum enim scientia, vel ignorantia non admittit, aut restituit innocenti jus se defendendi a publicis justitiæ ministris. Rectius autem dicas nunquam innocentem resistendi jus habere publicis justitiæ ministris, vel scient, vel ignorent

cium exercentibus; Molina, Dicastill. et alii cum Stephan. tom IV, d. 5, num. 10, la Croix lib. III, part. 1, num. 815 (36).

(41. Sic incarcerationatus innocens nequit licite occidere custodes carceris, ut effugiat; Communis, cum Lugo disp. 40, sect. 4: la Croix loc. cit. (42. Nec ducti ad supplicium possunt licite occidere carnificem, aliosque ministros, ut evadant; Communis. (43. An autem bannitus possit se defendere et aggressorem occidere? et an ipse bannitus possit licite ab aliis occidi? Vid. verb. *Bannitus.*

(44. Non licet auctoritate propria et privata occidere extra causam necessariæ defensionis; Communis. (45. Nec licet patri filiam, aut marito uxorem in adulterio deprehensam occidere; Communis hodie, ac certâ. Ab Alexandro enim VII, die 7 Septembris 1665, merito damnata est sequens propositio 19, in ordine: « Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. » (46. Uxor et adulter possunt licite se defendere, et cum moderamine inculpatae tutelæ etiam occidere maritum, a quo ad mortem injuste invaduntur; quamvis enim invasioni dederint occasionem adulterando, injuste tamen invaduntur ad mortem, adeoque juste se defendunt; Viva ad d. propositionem 19 Alexandri VII, num. 12, et alii passim. (47. Licitum est tamen matronæ honestæ, sicut et virgini violentum aggressorem, stupratorem, oppressorem, si nullo alio modo vim impedire aut declinare possit, occidere cum moderamine inculpatae tutelæ; Communis, arg. cit. *juribus* sub num. 27 et 29.

(48. Auctoritate propria et privata non licet occidere principem suum tyrannum, seu tyrannice populum regentem; in concilio enim Constantiensi definitum est, hæreticum esse asserere licitum esse privato occisionem tyranni. (49. Nulla auctoritate humana, secluso Dei mandato, aut instinctu divino, licet se ipsum directe occidere; Communis ex cap. *Si non licet*, 9, caus. 23, q. 5, ubi sic expresse habetur: « Profecto etiam qui se ipsum occidit, homicida est. » Et ratio est, quia homo est solum custos, et usuarius propriæ vitæ, nec habet jus et auctoritatem in ipsam, cum non sit ipse dominus absolutus propriæ vitæ, sed Deus ex xvi *Sapientie*, et xxxii *Deuteronomii*; ut ex verbis relatis sub num. 38. (50. Dicitur autem notanter, secluso Dei mandato aut instinctu divino, quia hoc interveniente licitum est homini se ipsum occidere, ut de facto licite se ipsos occidisse creduntur quotquot sancti, vel sanctæ in sacris Scripturis, vel Historiis commendantur, ut Sampson *Jud. xvi*, Eleazarus I *Machabæor. vi*, vers. 45, Razias II

suam innocentiam; in utroque siquidem casu supremæ potestatis simplices sunt executores, apud quam non privatorum armis, sed re ipsa, vel rerum gestarum rectitudine innocentia vindicatur; in civitate enim nemo sibi regulariter judicet. L. 5, ff. *de Acq. possess.*, l. 2, § 18, ff. *De vi bon. rapt.*, l. 7, 8; ff. ad l. Jul. *De priv.*, l. 15, ff. *Quod met.* (EDIT. BARBIELL.)